

**D i s s e r t a t i o**  
Inauguralis Medica  
de  
**MORBIS RETROPULSIS.**

Quam annuentibus  
Magnifico Domino Praeside et Directore,  
Spectabili Domino Decano,  
et  
Clarissimis DD. Professoribus  
Pro Doctoris Medicinae Laurea,  
Summisque in Medicina honoribus legitime conse-  
quendis in Alma ac Celeberrima Reg. Scientiarum  
Universitate Hungarica Pestiensis  
publicae Eruditorum disquisitioni submittit  
**Paulus Rovenszky**  
Hungarus Magno-Levardino Poseniensis.

---

Thesium adnexarum defensio publica fiet in Palatio  
Universitatis majore die 8. Aprilis 1824.

---

*P e s t i n i,*  
Typis Ludovici Landerer de Fűskút.

Sit mihi fas audita loqui — — —

*Virg. Aeneidos lib. 6. v. 266.*



**SPECTABILI AC CLARISSIMO**  
**DOMINO**  
**D<sup>ri</sup>. ALEXANDRO KOPPY**  
**PRACTICO MEDICO,**  
**INCLYTARUM FACULTATUM VINDOBO-**  
**NENSIUM MEDICAE ET PHILOSOPHICAE,**  
**ATQUE INCLYTAE FACULTATIS**  
**PHILOSOPHICAE PESTIENSIS**  
**MEMBRO**

H A S  
STUDII MEDICI PRIMITIAS  
I N  
VENERATIONIS MONUMENTUM  
SACRAS ESSE VOLUIT



Auctor.

---

*Exiguos quoque morbos majores excipiunt :  
cumque priores discrimine vacarent , eorum  
soboles perniciosa exoritur.*

Aetlaeus Cappadox,  
de diuturn. morb. curat. Cap. I.

§. 1.

Medico vitam aegram pristino sanitatis statui restituere adlaboranti non gravitatem tantum morbi, verum singularem eam mobilitatem etiam, quam termino ab antiquissimis artis nostrae peritis ita assumpto retropulsionem nuncupare solemus, impedimento esse, luculentum est. Morbi scilicet nonnulli, quamquam therapiae convenienti non adeo reluctantes, ut haud difficulter sufferri queant, levissimis saepe adcurrentibus causis locum priorem, exteriorem potissimum organismi Sphaeram protinus descere, interna, nobilioraque organa aut viscera occupare, atque sic therapiam pene omnem eludentes perniciem minari consueverunt. Certi profecto morbi hanc indolem habentes occurrunt, qui proinde non tam vi sua, quam mobilitate grandem medico parere laborem debent.

Retropulsionis hujus ideam sive per materiae morbosae e loco in locum per vasa translationem, sive per actionem systematis nervosi in loco organismi remoto vasorum functionem dirigentis, sicque secretionem similem efficientis, aut vim in internis exerentis explicare Pathologi velint, Medici saltem Pra-

clicii morbum ad priorem revocando locum saluti aegrorum succurrere conantur.

Morborum retropulsorum idea methodum derivatoriam postulare debet, qua in externis analogus processus pathologicus provocari, aut plane ille prior evanidus restitui tentatur, quod qua medendi in specie methodo in effectum deducere oporteat, hac dissertatione praecipuos morbos assumendo complecti progrediar.

§. 2.

**F**ebres proprie dictas remittentes, quod morbum organismi totius, ac omnino interne considerati sistant, ideam morbi retropulsi nullam dare facile intelligemus, ni crises aut morbi ipsius potestate, aut injuriis externis, aut denique iniqua remedium exhibitione interruptas huc pertinere statuatur. Crises profecto interruptae, ut exemplum adferre liceat, saepe sero colligendo adeo occasionem dare consueverunt, ut ascites inde oriri queat; ast non morbi retropulsi, verum morbi sequelae exitusque ita nuncupati idea hic concipiatur. Therapiam in hoc casu in crises promovendas, aut enato jam novo morbo qua sequela febris, in hunc sufferendum dirigendam fore, sponte sequitur, neque ullum ad priorem morbum revocandum laborem impendemus. Aliam rationem habent febres intermittentes, quae ideam quampiam retropulsionis conciliare videntur, siquidem iis perverse tractatis infarctus viscerum abdominalium omni solventi remedio reluctantes originem sumant, quibus nonnisi febris intermittens enata, ac proin revocata sufferendis par reperitur. Nec rara habentur exempla ascitis sthenici post febrem intermittentem enati, qui etsi adprime diuretico e

carbonate lixivae alcalino aceto scillae saturato tractatus cedat, febre tamen intermittente redeunte felicitius superatur. Ne tamen febrem intermittentem larvatam huc referre velim, cum cephalalgia, exempli causa, aut rheumatismo enato forma morbi saltem, non item natura intermittentis mutetur, neque methodus ulla revulsoria, sed specificum intermittentis morbum sufferat.

### §. 3.

Inflammationes jam retropulsionis ideam nobis majori jure dabunt: praeter febrem etenim in plerisque obtinentem simul organon singulare adficiunt, ut relicto uno organo ad aliud transire non impossibile esse intelligatur, idem experientia quoque confirmante. Rariores tamen sunt inflammationes sedem mutantem, et si ex organo nobiliori ad minus nobile veniant, non protinus retropulsae esse dicantur, quod hoc prognosim meliorem efficiat, restituendaeque sanitati faveat; verum, si ex organo minus nobili ad aliud nobilius, vitaeque gravius periculum adferens tendant, retropulsionis nomine notentur. Legem generalem quoad retropulsionem hanc in diagnosi sequemur: quod inflammatio organi signis suis evanidis remittat, in alioque iisdem, calore videlicet, dolore, et tumore, quamquam non semper perceptibili, sed praecipue functionis turbatione se manifestet. Methodus medendi, praeter antiphlogisticam, ob indolem morbi inflammatoriam adornandam, etiam revulsoria indicatur, qua similis processus in priori loco ad superficiem cutis excitatur, ut nobilius organon subire debuit. Pertinet huc imprimis cauteriorum applicatio, quam veneranda antiquitas adhibuit; nos tamen, quamquam haec non rejiciamus et suo loco

quoad gradum in usum vocemus, mitiora potius sumemus. Emplastrum cantharidum vulgare derivans est, quod gradui adfectionis adaptando variae intensitatis esse potest, mitius enim si requiratur, cum alio emplastro malaxabitur, ut semi-vesicans evadat, si fortiori opus sit, pulvere cantharidum conspergi consuevit. Influxus noxios emplastri vesicantis a cantharidibus in vias urinales emulsione amygdalina cum camphora sufferri notum est; anxie vero emplastrum hoc evitare nitenti praesto erit potius juxta *Recheru*: carbonatis ammoniae alcalini drachmae duae cerati unctiae duae misceantur, omni quadrante horae hinc drachmas duas adponendo. Ad effectum tamen revulsionis citius obtinendum sinapismus vesicanti praefertur, uti: fermenti panis, farinae sem. sinapi ana Unciae duae, aceti vini q. s. ut f. cataplasma, huc pertinet quoque epispasticum commendatum ab *Ollenroth*: fermenti panis libram unam, sem. sinapi contus. unctiam unam, muriatis ammoniae puri, carbonatis lixivae alcalini ana drachmas sex misce; in torpore autem insigni cutaneo sinapismus acrior: fermenti panis atri Unc. tres, sem. sinapi contus. Unc. duae, rasurae rad. armoraciae recent. muriatis sodae ana Unc. una et semis, Capsici indici contus. drach. duae, aceti vini q. s. ut f. cataplasma. Citius adhuc agit pulv. rad. zingiberis unc. semis, alcoholis q. s. f. catapl. Nec praetereunda est hic machina vaporum a *Dzondi* inventa, ubi vapores fervidi intra 20 minuta secunda vesiculas producant, et intra 10 minuta rubefaciunt, vesiculis apertis si vapor novitus adplicetur, suppuratio maxima scopo derivante induci poterit.

§ 4.

Inter inflammationes frequentius mutationi sedis exposita est angina, sed ceteris magis quoque



epispasticorum efficaciae obedit. Ita angina tonsillaris facile se ad vicina deponit, ita angina trachealis descendit, causaque peripneumoniae existit, hic tamen in cura haud cuiquam derivationi, praeter consuetam antiphlogisticam methodum, locus datur. Maxime huic mutationi subjicitur parotitis catarrhalis vaga, quod et nomen morbi indicat, quae in tumore non globoso sed magis plano glandularum parotidum et maxillarium consistens facile se ad testes deponit, in sexu sequiori vero ad mammas ac genitalia, aut ad cerebrum et systema nervosum, pulmones, ventriculum; quamobrem ad evitandam perniciem morbus diaphoreticis tractetur, neque adstringentia quoquo modo adhibeantur, nam crisis per sudorem in tumore requiretur, qui si non insequatur, tumor dehiscet, ac sub symptomatibus febrilibus testis aut mammae intumescunt, quod si eveniat, protinus emeticum exhibeatur scopo alterante, vesicansque ad parotidem ponatur, interne diaphoretica continentur, scrotum in suspensorio applicito fomento in sacculis specierum aromaticarum teneatur, apud sexum sequiorem linimentum aromaticum in internum latus femorum infricetur, clysmataque e decocto chamomillae injiciantur, retropulsione ad cerebrum obtinente emplastrum cantharidum, ac interne major dosis camphorae convenient.

§ 5.

Morborum retropulsorum seriem nulla classis ea magnitudine, qua exanthemata, exhibet, siquidem adfectiones hae cutaneae a febre sibi adjuncta dirigendae eo ipso, quod non firmiter cutem teneant, verum a febre nimis regantur, volatilem indolem conservare debeant. Mutatio coloris aut deli-

scientia elevationum, quin febrilis adfectio imminuatur, imo haec novo augeatur impetu, semper metum retropulsionis cum fundamento injicere consuevit. Variam hic medendi methodum ratione febris jam inflammatoriae jam nervosae adhiberi debere, epispasticaque ratione partis vario loco adplicari solitum esse notum est; a potiori tamen exanthemata cum febre characteris nervosi progredientia retropulsionem diligere videntur. Novi e retropulsione exanthematum morbi originem nanciscuntur, qui sub therapia praecipuam indicationem ex idea retropulsionis petunt. Ita habentur exempla a retropulsis exanthematibus encephalitis, hydrocephali, apoplexiae, et quidem saepius serosae, catarrhi phthisici, peripneumoniae, cardiogmi, colicae, ascitis, et rarius etiam aliorum, inquit us, si inflammatio gravior locum habeat, venae-sectio primum occupat locum, tumque saltem balneorum, epispasticorumve usus adhibeatur; sub nervosa vero indole fortiora in auxilium vocentur, ut emetica, diaphoretica potentiora e camphora, saleve eornu cervi volatili, sub spasmis praecipue moschus, in adfectione capitis simili infricetur in caput: Carbonatis ammoniae alcalini pyro-oleosi soluti Unc. duae, tincturae cantharidum drach. duae, aetheris sulfurici Unc. una, m. aut illiniatur: Unguenti rosati Unc. una, sulfuris depurati, tartratis lixivae stibiati ana drach. una, camphorae scrup. semis, m. atque ad derivandum in plantas pedum infricetur juxta Löb-  
**e n s t e i n - L ö b e l**: ammoniae purae liquidae Unc. semis, olei terebinthinae drach. duae, olei sassafrae Scrup. semis, m. In morbis his a retropulsione natis non tam facile succedere revocationem exanthematis, prout de impetigine id obtinet, experientia do-

et, neque tam fortia derivantia, quae pro impetigine retropulsa conveniunt, hic tuto adplicari poterunt ex eo, quod irritando majorem inferre perniciem queant, ita in peripneumonia ab exanthemate retropulso producta tota methodus antiphlogistica prius adhibenda erit, atque nonnisi infracta inflammationis vi emplastrum cantharidum admittitur; ast in apoplexia serosa, quae a retropulso exanthemate orta est, jam graviora derivantia, uti setacea, fonticuli tentari debebunt.

§ 6.

Variolae inter exanthemata retropulsioni minime sunt obnoxiae, habentur tamen exempla variolarum nervosarum, ubi maculae prorsus evanescent, quin in pustulas eleventur, interitumque pro sequela habent, cum morte apoplectica plectant. Quo in casu, si aliqua salus speranda est, eam saltem balnea tepida aromatica, sinapismi, interneque camphora in infuso radicis valerianae sylvestris adferre poterunt, nonnulli moschum quoque, et peculiariter opium hic laudant, neque methodus ab Henke proposita infantes linteis prius in crematum calidum immersis involvendi hoc loco silentio praetereunda est.

§ 7.

Miliarium retrocessio subitanea non infrequens est, quae mutatio singulariter alba miliaria concernit, et quidem dum febris nervosa exanthema dirigit, quapropter ad evitandum hunc infelicem eventum, ut febris nervosa se pandit, illico cura acidis ita dictis dulcificatis adornetur, in specie juxta Barretta spiritu aetheris sulfurici. Eveniente retropulsionem therapia juxta causam hujus definiatur, si enim e. g. ab animi pathemate praegresso retropulsio fiat,

antispasmodica; si a suppressa transpiratione, diaphoretica; si a saburra, clysmata frequentia auxilio erunt. Sed saepe nihil mali illinc sequi meminisse velim, cum retrocessione accidente diarrhoea aut urinae excretio copiosior periculum dissipet.

§ 8.

Morbilorum retropulsio aequè grandia pericula adfert, metuique potest sub stadio eruptionis ac florescentiae, maxime caractere nervoso simul existente. Refrigerium hinc plurimum vitetur imminentibus indiciis retropulsionis, pallore videlicet exanthematis ac turbis febrilibus increscentibus; saepe tamen diarrhoea moderata et abundans urinae fluxus periculum avertunt. Ast identidem evenire solet, ut exanthema e cute reipsa dispareat, internaue petat, ubi gravia phaenomena protinus se insinuant: peripneumoniae vehementes, inflammationes colli, abdominales, spasmi, deliria, status soporosus. Si hic symptomata stheniam exhibeant, causa retropulsionis fuerit refrigerium, abusus spirituosorum, animi pathemata vehementia, illico ad phlebotomiam recurrendum erit, sique nunc morbilli in conspectum non veniant, antispasmodica, diaphoretica exhibeantur, hinc camphora et ipsum opium, vesicans item applicentur, ac infrictiones volatiles. E contra, si symptomata manifeste nervosa adsint: convulsiones, deliria, incitantia requirentur, ut camphora majore dosi, moschus, succinas ammoniae pyro-oleosus solutus, balnea calida ex herbis aromaticis, sinapismi ad extremitates inferiores. Neque id obliviscendum est, interdum causam retropulsionis in primis viis esse, ut emeticum salutare fuerit.

§ 9.

*Urticaria vulgaris* retrocedens raro causat aliquam mutationem in valetudine, interdum tamen anxietates, animi deliquia levia, cephalalgiam producere visa est, quibus diaphoreticis occurrendum erit, sed ab *urticaria porcellana* seu *essera* retropulsa lethalis ad cerebrum metastasis, vel ejus hydrops adfertur.

§ 10.

*Erysipelas* non in omni parte corporis eandem assumit volatilem indolem, in facie etenim existens cunctis facilius retrocedit, ut perniciēs summa per apoplexiam immineat. Magnam scilicet in curando *erysipelate* capitis generatim cautelam adhibendam esse monemur, interiorum licet remediorum iusta administratio requiritur, externe autem, praeter levem fumum aromaticum e speciebus fumalibus aut saccharo ope lintei caput tegentis assumendum, nihil profecto moliendum est. Verum nonnunquam jam a levissimo refrigerio exanthema cerebrum petit, inflammatio cum deliriis furiosis saevit, omnemque prorsus therapiam inanem reddit. Non tam volatile quidem *erysipelas* aliarum partium reperitur, existit nihilominus gastritis ab *erysipelate* retrocedente, cum vomituritione, anxietate, dolore fixo stomachi, cui facile gangraena finem imponit, hic interne maxime emollientia, externe vero vesicans saltem ad rubefactionem convenient, evenit id quoque saepe, ut in statu chronico diarrhoea ingruens symptomata haec stomachi delere progrediatur. Si enteritis producat, intestina tenuia in gangraenam, crassa vero magis in suppurationem tendere observantur. Gangraena haec a retropulso *erysipelate* ceteris frequentius reperitur

etiam in utero cum deliriis, singultu, ac meteorismo.

§. 11.

Morborum retropulsionem subeuntium seriem persequendo, quamquam nimis volatiles hac in parte reperire videar, eam tamen celeritatem in recedendo, quam *Scarlatina* sibi vindicat, neutiquam obtinere fatear, oportet. Levissimum saepe refrigerium, aut animi pathema scarlatinam pallescentem efficit, ac e superficie externa ad interna repellit, ut mors sub symptomatibus apoplecticis spasmodicisve celeriter insequatur, aut saltem lentius sub pulsu semper minori, deliriis continuis, lethargo, oculis collapsis, pupilla dilatata, ac ultimo stertore. Quid igitur in curanda scarlatina de aquae frigidae adplicatione tenendum sit, facile iudicium depromi potest, frigus nempe in hoc morbo calorem immensum, crism utpote impediens, sufferendo saltem ad sanandum morbum conferre valet, ast quamquam in nullo morbo tam immanis calor ut in scarlatina obtineat, qui juxta *Currie* ad 106 imo 112 gradum Fahrenheitianum, qua maximum calorem humanum, adscendat, nihilominus tamen saepissime tam parvus caloris gradus occurrit, ut aquae frigidae adplicatio non superfluum calorem demendo agat, verum exanthematis retropulsionem causet. Retropulsio scarlatinae aestate magis sub forma convulsionum, hyeme vero magis sub forma phreniticorum symptomatum, et trismi comparet. Frequentius retrocedit ad cerebrum ejusque membranas, tunc, exanthemate etsi pleno in vigore adhuc constituto, sudores universales aut partiales cum calore continuo ardente per totum corpus ingruunt, pulsus prius frequens simul plenus, nunc fit celer, vacil-

lans, facile comprimendus, deliria continua, somnus soporosus, sensus obtusi, dolor colli videtur imminutus aegerque multo quietior esse, quae indicia perniciem imminere docentia illico remedia congrua exhibenda esse postulant, quamobrem maxime excitantia: moschus, camphora, sal cornu cervi ordinentur, externeque sinapismi acriores adponantur, saepe cerebri adfectio est inflammatoria, quae hirudinum applicatione, ac muriate hydrargyri miti interne adhibito tractanda erit. Non observationem fugiat laudanda per *Wend*t, dum exanthema pallescere inchoat, proposita protinus emeticum propinandi methodus, siquidem tum exanthema feliciter ad florescentiam praemissum emeticum perducens, tum jam initio morbi vomitus spontanei idem praestantes doceant, scarlatinam methodo sic alterante ad superficiem corporis exteriorem perfectius comparere.

§. 12.

*Petechiae* etsi frequentius cum febre characteris typhi jungantur, rarius tamen retrocedunt. Pro signo retropulsionis earum id esse noverimus, si eas nonnisi oculis transverse intuentibus inspicere queamus, aut si eae intra cutem latius procedant, interque reliquas velut diffuere videantur. Interim ni febriles adfectiones incrementum adipiscantur, disparentes e cute petechiae nullius prorsus momenti esse merito nuncupantur, ut sub cutem se recondentes periculosiores esse, quam penitus evanidae consveverint, experientia convincamur.

§. 13.

Nisum in retropulsionem hucusque adlatum exanthematum sequuntur quoque impetigines, eam tamen in his differentiam obtinere noverimus, quod

deficiente febre volatilitatem tantopere determinante non tam repentina, neque tam facilis retrocessio hic locum habere consuevit. Indicia retrocedentis impetiginis plurimum adhuc docentia petuntur e diuturnitate morbi, e remediorum adstringentium, exsiccantium improvido usu, atque ex internorum, vix evanescere inchoante impetigine, viscerum ingruente adfectione. Longum omnino, nec ambitui dissertationis meae congruum fore putarem universos adferre morbos, quos retropulsae impetigines producendo pares existunt, quoties etenim vertigines, indeque apoplexia, quoties amaurosis, diplopia, aliaeque oculi adfectiones, quoties catarrhus suffocativus, phthisisque, quoties epilepsia, chorea S. Viti, pluresque convulsiones, quoties hypochondriasis, quoties hepatitis et aliae inflammationes chronicae ex impetigine retropulsa originem nanciscuntur. In therapia horum morborum juste administranda, num status inflammatorius subversetur, primo investigandum est, ut sanguinis evacuatione fors praemittenda tutius remediorum ad cutem pellentium usus locum habere queat. Principem hic in generali lege reflexionem merentur stipites dulcamarae, antimonialia, sulfur, et camphora, ut merito: sulfureti hydrargyri stibiati, camphorae ana granum unum, sacchari albi grana decem, m. quater de die cum decocto stipitum dulcamarae commendentur; externe majori jure hic, quam in exanthematibus, fortiora in auxilium vocari poterunt, gradus tamen quidam observandi erunt, ut a lenioribus ad fortiora successive transitus fiat, ita adhibeantur balnea frequentia, dein frictiones spirituosae, tum sinapismus, aut unguentum aliquod epispasticum, e. g. e pulveris cantharidum grans triginta, unguenti basi-



lici unc. duabus, m., aut emplastrum a Le Febure commendatum in amaurosi ex hac causa: pulveris cantharidum drach. duae, picis navalis unc. tres, styracis drach. una, cerae albae drach. una et semis, liquefiant in emplastrum, aut emplastrum cantharidum, aut emplastrum vesicatorium perpetuum a Selle propositum seu emplastrum euphorbii Pharmacopoeae nostrae; denique ulcera artificialia per foniculos, setacea, aut, quod intra 2 usque 15 minuta agit, e solutione lixivae purae in alcohole ad saturationem, sicque cum calce viva in pastam redacta confectum remedium.

§. 14.

Crusta lactea etsi mox post ablactationem evanescere soleat, aut post primorum dentium eruptionem absque ulla mala sequela, suppressio tamen ejus celer interdum graves adfectiones, non tamen in tanto gradu, ut de tinea capitis mox adferam, causare reperiebatur, quibus in casibus interne diaphoretica indicantur, externe vero irritantia, saepe simul peculiaris se insinuat debilitas, ubi decoctum chinae cum infuso herbae jaceae, addito acetate ammoniae soluto diluto exhibendum erit.

§. 15:

Tinea capitis praecipue diu durans adstringentibus, exsiccantibus tractata cum gravi periculo ad interna se deponit. Maxime infausta illius retro pulsio est ad cerebrum ejusque meninges, hinc enim inflammatio ac hydrops cerebri oriuntur, et profecto adpruine hoc loco venit memoranda magnae utilitatis observatio ab Henke proposita, quod a quo tempore tinea rarius occurrit, ab eo inflammatio ac hydrops cerebri frequentiores cernantur. Inflammatione tali

enata mox hirudines adponantur, interne vero prout in hydrope cerebri murias hydrargyri mitis cum foliis digitalis purpureae exhibeatur, externis simul derivantibus adhibitis, e. g. emplastrum meliloti cum quarta parte emplastri cantharidum ac camphora mixtum ad caput. Ita enascitur quoque ab ea retropulsa amaurosis, mania, cophosis, dyspnoea, hydrophthalmia, blennorrhoea oculi, tabes, scrophula colli spuria, in quibus cunctis derivantia adplicanda veniunt.

§. 16.

Psorae tractatio quamquam externis remediis saltem suscipiatur, ea tamen diurnitatem quampiam adipiscente ad securitatem contra retrocessionem firmandam internorum etiam remediorum imprimis sulfuris usus requiretur. Eo tamen non obstante psoram recessisse cum gravibus insequentibus malis experientia edocemur. Ita imprimis mox comparet asthma, quod consistit in dyspnoea continua ad minimam occasionem datam enata et increscente, cum strepitu, tussi et sputis mucosis, proxiymi sunt nocturni saepe vehementes, catarrho suffocativo analogi, nonnunquam lethales, in tali casu praeter interna transpirationem promoventia et spasmum lenientia, e. g. extracti enulae drach. duas, pulveris rad. ipecacuanhae cum opio, moschi, salis cornu cervi volatilissimum, gummi ammoniaci drach. unam, f. pil. gran. duorum, unde aeger sumat mane et vesperi quinque cum infuso herbae hyssopi, externe simul derivantia adplicentur, exempli causa inter scapulas infricetur unguenti rosati uncia una, tartratis lixiviae stibiati drach. semis, m. aut quod adhuc efficacius est: muriatis hydrargyri corrosivi, muriatis stibii ana drach. unam, unguenti cantharidum unc. semis, m. unde magnitu-

dine pisi illinitur. Aequè periculose nascitur ex hac causa phthisis scabiosa, apud viros inter 20 et 36 aetatis annum, incipit cum exigua adfectione stomachi, dein sub sternò pressio, tussicula, dyspnoea accedunt, sensim adfectio stomachi cedit, venit sputum aquosum, cui solitariae massulae puris innatant, demum sputa copiosa cum febre, rubor genarum circumscriptus a potiori deficit; in hac phthisi peculiariter convenit sulfur, contra sputa aquosa semina phellandrii aquatici, externe vero, praeter unguenta ante memorata, fonticuli. Sed ascites quoque oritur a psora repropulsa, qui sulfure curandus erit, hysteralgia item, intolerabilis nempe pruritus et calor in utero junctus saepe cum leucorrhoea, variaque mala nervosa. Frequentissime vero psorophthalmia, ad marginem videlicet palpebrae profunde rubrum, inaequalem, tumidum et valde sensilem enascitur pruritus, dein comparent vesiculae multae, quae rumpuntur in ulcuscula, fiat hic mox derivatio, infricetur juxta *B e e r* illico pone aures unguentum cum tartrate lixivae stibiato, loca scabiosa infuso scordii laventur, cui remittente pruritu sulfuretum lixivae addatur, cedentibus crustis et cute humescente unguentum cum oxydo hydrargyri rubro adhibeatur.

§. 17.

*H e r p e s* quo magis cutem exodit, eam penetrat, ac crustis defoedat, eo fortius plerumque resistit sanationi, et metum retrocessionis causat. Si retrocedat, quod potissimum perversa cum exsiccantibus tractatione insequitur, aequè gravissima adfert mala, ita ab herpete retrogresso habentur exempla encephalalgiae cum symptomatibus plethorae capitis, ita exempla phthiseos, quae initio quidem pituitosa est, cum

situ dorsali et laterali non incommodo, tardius tamen ulcerosa evadit, ita exempla convulsionum, paraly-sium, abscessuum internorum ab hac causa adnotantur. Hic interne stipites dulcamarae, antimonialiaque, externe frictiones, balnea, vesicantia, fenticuli indicantur, rationem simul formae morbi ab herpete re-pulso enatae habendo.

§. 18.

Lichen si retrocedat, ingruunt: febris vehe-mens, inflammationes internae, calor, sitis, dolor focus in abdomine, vomitus vehemens, quae tamen absque periculo sponte evanescent, saltem lichen tropicus in periculum conjicere potest. Cura hic, praeunte Richter, antiphlogistica indicatur.

§. 19.

Strophulus retrocedit ob refrigerium, ubi diarrhoea, vomitus et convulsiones, imo, ut Schaeffer refert, mors insequuntur. Quare infans ita adfectus ponatur illico ad balneum, pauco semine sinapi confectum, adponatur ei vesicans, interneque mixtura cum acetate ammoniae soluto diluto exhibeatur.

§. 20.

Sudamina ad Hydroa aestivum referenda nimio frigori exposita etiam retrocedunt, facileque febres ac diarrhoeas causant, secus periculosa esse non solent.

§. 21.

Paucissimos in cacexiarum classe reperire est morbos, qui in vero sensu retrocedere dici possent. Imprimis fors scrophulas huc referri meminerim, dum eae solis remediis externis tractatae, atque e superficie suldatae, scrophuloso existente morbo, in pulmonibus tuberculorum evolvendorum causa exi-

stunt, hinc phthisis illa, cujus pus grana dura continet, facile comparet, in cura proin foniculus ad locum dolentem thoracis maximi sit momenti, qui in continua suppuratione conservetur, setaceum tamen a quibusdam praefertur. Certius vero plicam polonicam seu trichoma a resectis saepius plicosis capillis, refrigerioque accedente retrocessionem subire longior morborum series probat, qui redeunte solum plica evanescent, tales morbi sunt: arthritis, pleuritis, cardialgia, colica, oedema crurum, infarctus glandularum, tophi, ulcera oris, narium, viscerum, febres, deliria, convulsiones, spasmi, paralyses, alvi fluxus, haemorrhagiae, ophthalmia, amaurosis, pica, ungues scabri, lividi, recurvi, corrupti. Tolluntur hi morbi spontanea plicae eruptione, phthiriasis cum porrigne, et sudore foetido capitis, alopecia spontanea, sed antequam medicus haec insequi expectet, exhibeat illico fortiora diaphoretica, uti sunt antimonialia, camphora, succinas ammoniae pyrooleosus solutus, externe ordinet balnea calida, balnea vaporum, la Fontaine etiam inoculationem trichomatis efficacem fuisse refert.

§. 22.

Nevrosium classis in rheumatismo et arthritide pene sola retropulsionem admittere videtur, verum hanc aetate nostra adeo frequenter, ut quotidiana experientia plurimos ex hoc fonte derivari morbos cernamus. Rheumatismus quidem et rarius et non cum tanto exilio ut arthritis retrocedit, cujus praecipue in pede existentis nomine podagrae vulgo compellatae recessus omnino periculosissimas adfert adfectiones. Ita arthritis retrograda causat, cephalalgiam, quae a potiori subito venit, communiter est in-

termittens, saepe periodica, venit et exasperatur vesperi, saepe pluribus septimanis durat, alternat interdum cum doloribus artuum, hic interne decoctum lignorum exhibeatur, externe sinapismus, ad plantam pedis emplastrum de galbano cum sale cornu cervi applicetur. Saepe ipsa apoplexia ingruit, ubi proin tanto magis derivantia adhibeantur, et quidem citissime, quod tenendum quoque si asthma, catarrhusque suffocativus compareat. Peripneumonia arthritica, praeter sanguinis evacuationem, sinapismus et balnea calida postulat. Cardialgia arthritica saepe celeriter interimit, laudatur in ea linteam quadruplicatum ad stomachum instillata ammonia pura liquida usque ad lenem ardorem in cute externa, spiritus serpylli cum tinctura cantharidum in serobiculum cordis, melius tamen agit vesicans et praeprimis sinapismus, interne acidum sulfuricum dilutum ad guttas decem usque viginti in cochleari aquae menthae. Saepe loco cardialgiae, dum podagra retrocedit, gastritis cum vomitu convulsivo se evolvit, ubi pediluvia sinapina, vesicatoria ad crura, et mitigata inflammatione extractum aconiti commendantur. Alias adgreditur marginem inferiorem hepatis, ubi aliquo tempore doloribus, ictero vexat, aut descendit ad intestina, causat dolorem colicum maxima pro parte in regione umbilicali, cum dyspepsia, obstipatione alvi pertinace, raro diarrhoea cum torminibus vehementibus, stupore artuum, aut petit renes, causat nephralgiam intolerabilem, in qua ne vesicans sed sinapismus pro derivante sumatur. Arthritis retrograda ipsam quoque vesicam urinariam paralyti plectit, unde ischuria, urina post magnam adstrictionem deorsum perpendiculariter ruit, tardius sub repleta utcunqve vesica stillat

involuntarie, vesica etiam evacuata manet dilatata. Denique retrocessa podagra causa esse potest ophthalmoblenorrhoeae arthriticae, mox nempe enascitur pruritus marginum palpebrarum, qui increscit, et dolor pungens, ardens fit, simul tumor enascitur a marginibus per totam palpebram, rubor bulbi fit semper major, et cum intumescencia conjunctivae adsociat se lacrymarum fluxus, ad marginem palpebrae et internam superficiem enascuntur vesiculae cum pure acri flavescente, quae rumpuntur cum inflammatione viciniae, simul cephalalgia magna, dein secretio mucii puriformis, non raro ulcera corneae, hypoplum, quare ilico compressae calefactae camphora illinitae ad oculum ponantur, aut sacculi ex herbis aromaticis, ab humore oculus ope spongiae depuretur, interne diaphoretica singulariter guajacum exhibeatur, externe pediluvia sinapina ordinentur. Ipsa cataracta aut amaurosis arthritica enascitur, ubi interne eadem remedia, imprimis vero extractum aconiti cum antimonio conveniunt, externe vero electricitas, vesicans, foniculus aut selaceum, vapores ex ammonia pura liquida ad oculum admoveantur, aut juxta Lentin ex aquae laurocerasi uncia una, aquae rosarum unciis duabus, mercurii nitrosi gutta una mixtis in oculum instilletur.

§. 23.

In retentionibus retropulsionis vix vestigium adesse crederemus, ni id, quod in anasarca aquae subcutaneae partes nobiliores sede sua relicta petere queant, huc referri concederetur, aut asthma urinosum huc quodammodo pertinere videretur, quod retentione urinae obtinente praeprimis apud senes enasci solet, intumescunt hic primo pedes, post aliquod tempus tumor deperditur, et in eadem mensura

dyspnoea accedit, si pedes tumeant, rursus respiratio liberior fit, simul pruritus et impetigines variae in cute cernuntur, Fordyce hic laudat: gummi ammoniaci drach. semis, solve in oxymellis scillae uncia una, adde aquae petroselini uncias tres, m. hincque omni secunda hora cochleari uno detur.

§. 24.

Profluviorum retropulsio eorum suppressionis ideam junctam habet, iis etenim redeuntibus derivationem fieri in aprico est. Frequentius debilitas activitatis vitalis, aut refrigerium, aut adstringentium praematurus usus occasionem suppressioni praebent. Cura derivationem instituendi non tantopere in irritantibus per sinapismum vesicantiaque, quam in hirudinum, cucurbitularum adplicatione, imo, re ita postulante, in ipsa venaesectione consistit. Hirudinum loco a Sarlandiere propositum instrumentum suctorium, quod ille Bdellometer, rectius vero Graefe Antlaemon vocat, ad genus machinae scarificatoriae cum cucurbitulis adhibendae spectat, neque scopo optato, uti hirudines, respondet.

§. 25.

Frequentior retrocessio occurrit haemorrhagarum, et quidem inter has metrorrhagiae menstruae. Menses supprimuntur a corporis ac imprimis pedum refrigeratione, a saltatione immodica, ira, indignatione, amore effreni, nimia stomachi oneratione cum pane recenti adhuc calido, spiritu vini aut acido minerali. In cura, si status inflammatorius subversetur, apud robustas, plethoricas, irritabiles, post commotionem, stimulantia, illico antiphlogistica adplicentur,



cucurbitulae ad os sacrum, hirudines ad labia majora, ipsa saepe venaesectio, interne quoque antiphlogistica, sub refrigeratione etiam diaphoretica; si status sit spasmodicus, apud teneras, sensiles, hystericas, post animi pathemata, magis pulvis ipecacuanhae cum opio, camphora cum infuso chamomillae, clyisma antispasmodicum convenient; si denique status sit paralyticus, sub magna atonia, lipothymiis, apoplecticis adfectionibus, fortiora, uti aether sulfuricus cum castoreo indicantur. Nimis variante forma aegritudines a suppressis menstruis comparent, ut omnes enarrare vix locus concedatur. Ita periculosissima forma occurrit apoplexia aut cephalitis, ubi proin citissime opitulandum erit. Occurrit etiam amaurosis, myodesopia, variaeque oculorum adfectiones. In pectore suppressio haec adfert peripneumoniam omnino antiphlogistice tractandam; aut asthma sanguineum ab effuso sanguine in textum cellulosum pulmonum, unde rami bronchiorum comprimuntur, et ad aërem assumendum incapaces redduntur, accedit difficilis respiratio cum magna anxietate, ubi ni mox venaesectio fiat, apoplexia vel catarrhus suffocativus sequela est; aut denique adfert oedema pulmonum seu hydropem pulmonum cellulosum, hic adest oppressio vehemens cum sensu ponderis in trachea pendentis, profunda inspiratio sit quasi subito interrupta, pectus evadit leucophlegmaticum, ubi praeter methodum menstrua ad uterum derivandi pro hydropem non tam diuretica quam expectorantia, uti oxydulum sibi hydro-sulfuratum aurantiacum cum senega, ammoniacum, indicantur. In abdomine communiter oriri solet colica sanguinea, adfectiones hic veniunt omni quarta septimana, dum menstrua solito aderant, saepe dolor peculiariter uterum

et ovaria occupat, enascitur nixus ad genitalia, mammaeque tument, imo uterus et ovaria inflammationem facile subeunt, sicque enata metritis oophoritisve tanto audacius phlebotomiam postulabit. Nec desunt exempla ascitis plethorici a mensibus suppressis, qui praeter derivandi methodum non diureticis, verum purgantibus tractari debet, denique tympanitis, physiconiae uteri, variorumque spasmorum. Id etiam animadvertendum est, quod in praxi nimis frequenter evenire solet, menstruorum suppressionem, praesertim seriori aetate, occasionem dare scirrhisitatibus uteri in canerum tardius ruentibus, qui quam periculosus casus sit, haud quisquam artis peritus infitiabitur, adhiberi tamen laudatur a *Vestring* juxta *Chrestien* infrictio in labia majora  $\frac{1}{4}$  grani, in gingivas  $\frac{1}{2}$  grani auri fulminantis, interneque pilulae ex extracto calendulae mane et vesperi ad grana duodecim, diaeta lactea observata. Mensium suppressorum periculo similes adfectiones, imo plerumque acutiori cum decursu, causat *lochiorum suppressio*, saepius tamen ab hac *hysteralgia*, metritis, et febris puerperalis oriuntur, quare jam sub primis initiis suppressionis illa pediluviis tepidis, clysmatibus emollientibus, et fomentis ad abdomen tepidis in fluxum deduci tententur.

### § 26.

*Haemorrhoides suppressae* amplissimum morbis plurimis evolvendis aperiunt campum, imo etiam quae in senectute sponte sua evanescent, invasionum tamen apoplecticarum, paralysisium, aut inflammationum celeriter lethaliu causa existere poterunt. Supprimuntur haemorrhoides a refrigerio magno, imprimis natum et pedum, terrore aut ira ve-

hementi, potibus nimis spirituosis, equitatione, ve-  
 rtione, clysmatibus internisque adstringentibus. Cu-  
 ra est statui praesenti occurrere, qui de regula in-  
 flammatorius est, hinc antiphlogistice procedendum,  
 et quidem a potiori venaesectio instituenda erit,  
 nec status spasmodicus hic deterreat, quum iste se-  
 quela suppressionis est, venaesectio fiat in pede, e  
 remediis vero internis tartarus depuratus propinetur.  
 Sufficiente evacuatione facta sanguinis, licebit an-  
 tispasmodica in usum vocare, uti pulverem radice  
 ipecacuanhae dosi refracta, extractum hyoscyami,  
 ipsum opium in connubio cum muriate hydrargyri  
 miti. Si dolor alicubi se figat, hirudines admovean-  
 tur. Sed simul illico fluxus revocari tentetur, fit hoc  
 hirudinibus ad orificium ani, cucurbitulis scarificatis  
 ad os sacrum et internum latus femorum positis, clys-  
 matibus emollientibus, vaporibus ad anum derivatis.  
 Morbi ipsi a suppressis haemorrhoidibus oriundi sunt:  
 vertigo, cephalalgia, in qua vasa cerebri saepius re-  
 pleta sensim dilatantur, atque ad apoplexiam dispo-  
 nunt, apoplexia ipsa mox accedens, in quibus, prae-  
 ter derivationem hirudinibus, fomenta frigida ad ca-  
 put, praeprimis cum aceto, adplicentur, cephalalgi-  
 am continuo molestantem Unzer lenire nititur cor-  
 tice citri recenti tenuiter detracto ad tempora posito,  
 aut cortice raphani. Item ophthalmia, amaurosis om-  
 nino metum incutiens, intumescitiae varicosae in  
 ore, angina, asthma, quod saepe blennorrhoeam pul-  
 monum causat, et demum phthisim pulmonalem pi-  
 tuitosam, haemoptysis, phthisis, pulsatio hypochon-  
 driaca cum cardialgia et anxietate juncta, colica, cu-  
 jus adfectiones veniunt libenter luna increscente, et  
 sunt leniores aestate, dolores quodammodo juxta

decursum vasorum haemorrhoidalium se dirigunt, in qua singulariter mucilaginosae conveniunt, uti emulsio gummi arabici cum extracto hyoscyami. Denique tympanites, dolores renum in lecto incrementos, ischuria, sub qua clysmata emollientia aegro in genua et cubitos reclinato injiciantur, balnea tepida ordinentur, dein infriktiones fiant in regionem vesicae ex aquae menthae unciis sex, olei terebinthinae uncia semis, vitelli ovi drach. duabus, m.

§ 27.

Epistaxis prout morbos varios a plethora capitis pendentis dissipat, ita si in tali casu supprimatur, gravibus adfectionibus occasionem praebet, hinc etenim veniunt vertigo, cephalalgia, susurrus aurium, amaurosis, sopores, apoplexia, convulsiones, ipsam epilepsiam et dysphagiam hinc enatam fuisse I. P. Frank auctor est. Quapropter fluxum suppressum quantocyus revocare moliendum est vaporibus aquae calidae in nares attractis, et hirudinibus binis externis orificiis nasi adplicitis.

§ 28.

Haemoptoën, quae a sanguine jam extra vasa existente et nigrescente adhuc continuat, suppressere cautum sit: si quidem sanguine tali extra sphaeram activitatis vitalis organismi humani locum habente, ubi jam leges universales chemicae a vitalitate non superantur, verum eae regnantes corruptionem causare queunt, phthisis facillime se evolvere valet.

§ 29.

Praeter haemorrhagias occurrit nimis frequenter suppressio etiam blennorrhagiae urethralis seu medorrhoeae, non raro etenim evenire solet, ut motus vehementes vactione aut equitatione, coitus,

potus spirituosi, diuretica fortiora, imprimis cantharides, purgantia drastica, refrigerium subitaneum, injectiones irritantes, imo suspensorium scroti neglectum stadio inflammatorio morbi nocere possint, decursum ejus felicem turbent, gravioribusque morbis iter pandant. Praecipui horum sunt: tumor prostaticae, saepe prostatitis ipsa, tumor hic impedit urinae excretionem, inflammatio vero causat dolores vehementes ardentes in posteriori parte urethrae per perinaeum, hic externe adponantur juxta tumorem hirudines, interne murias hydrargyri mitis detur, ac tumor linimentis resolvi tentetur. Orcheocele acuta vel testiculus venereus est cum sensu ponderis in teste, tensione et obtuso dolore in inguine, qui per longitudinem funiculi spermatici usque ad scrotum se extendit, fere primo adgreditur epididymidem, quae dolorifica et dura fit, se in massam convexam et tumorem ovalem dilatat, tardius primo intumescit testis, interdum in enormem magnitudinem. Hic, prout gradus inflammationis postulat, hirudines ad scrotum adponantur, saepe vero sola fomentatio cum aqua saturnina sufficit, alvus eccoproticis libera teneatur, dolore urgente cataplasma e pulveris herbae hyoscyani uncia una, farinae seminum lini uncis duabus, opii drach. una cum lacte q. s. adponatur, quo magis inflammatio asthenica sit, tanto magis convenit opium cum muriate hydrargyri miti, tumore vero remanente extractum aconiti; aut pulvis radice ipecacuanhae refracta dosi indicatur. Maxime infaustum tamen malum inter cuncta adfertur per ophthalmiam gonorrhoeicam, inchoat haec cum rubore et intumescencia palpebrae superioris, quae saepe ita crescit, ut ectropium enascatur, mature comparent sympto-

mata ophthalmidis vehementis, dolor intolerabilis, febris et alia, sequela est suppuratio, leniora sunt his symptomata, si morbus per contactum immediatum oculi enatus est. In cura tentetur blennorrhagia in urethra revocari injectionibus emollientibus, aut per cereolos solubiles, aliqui ipsam inoculationem svadent contagii blennorrhagici, penis balneetur in lacte tepido fomenta fiant e decocto hyoscyami et cicutae ad perinaeum, oculus tractetur adplicatione hirudinum ad canthum, et balneo juxta Plenck sic dicto mercuriali e mercurii vivi drach. una, pulveris gummi arabici uncia semis, syrupi papaveris albi q. s. tere in mucilaginem, adde lactis ebullientis uncias octo. Saepe staphyloma post hanc ophthalmiam inducitur, quod mollius est, et per id distinguitur a staphylomate post variolas enato, quod fere cartilagineo-durum est.

§ 30.

In sexu sequiori fluor albus venereus seu leucorrhoea venerea sub suppressione non tantis cingitur periculis, ophthalmia tamen etiam hic reperitur. Verum datur fluor albus insons quoque tanto frequentius suppressus, unde copiosius malis sequelis inde natis is eo alacrius revocari tentetur, utpote injectionibus e decocto calido seminum lini, herbae cicutae, herbae hyoscyami, fomentis emollientibus cum sapone, balneis, pediluviiis, vesicante ad internum latus femoris, quod si his remediis fluxum restituere non succedat, evacuationem purgante, imo saepe diaphoretico, si natura viam hanc ostenderit, procurare adnitendum erit.

§ 31.

Ptyalismus, quatenus crasim morborum, uti odontalgiae, variolarum, anginae et aliorum, persi-

cit, non absque damno supprimitur, hinc causae ejus suppressionis, uti stimuli abdominales, spasmi, auctae in aliis partibus excretiones, sufferantur, ad fluxum restituendum adplicentur fomenta emollientia ad genas, parotidesque, adhibeantur collutoria e seminibus sinapi, radice pyrethri, radice pimpinellae albae.

§ 32.

Galactirrhoea quamquam emaciationem, imo abortum procurare par existat, nihilominus tamen inepte suppressa gravem morbum retropulsum sistit, hinc enim encephalitis, ad cujus curam pertinet fomenta calida ad mammas adplicare, frequentius suctionem ore infantis admoti, aut cucurbitulis siccis tentare, eas sapone ammoniae fricare, et purgantibus humores lymphaticos derivare.

§ 33.

Neque vomitus aut diarrhoea saburralis e serie morborum retropulsorum excludenda erit, saburra etenim sic jam exitum moliente si ea includatur, feбри graviore, imo putridae se evolvendi occasionem praebebit.

§ 34.

Denique inter frequentissime aevo nostro occurrentes causas retrocessione morbos sistendi ulcerum inveteratorum suppressionem memorare velim, nam ulcera inveterata, imprimis crurum, sive improvido exsiccantium usu, sive debilitate ingruente e pede evanida vertiginem, apoplexiam, asthma, aliaque gravissima mala adtulisse nemo est, qui ignoret, quare prudens talium ulcerum tractatio magis ad interna quam externa remedia restringi necessaria commendetur, secretioque puris tot annorum inter-

vallo in secundam naturam transiens, ut ulcere concluso non protinus interrumpatur, fonticuli positione sustentetur.

§ 35.

Praeter morbos retropulsos memoratos existere quidem morbos, qui ab evacuationibus statui sanitatis individualis propriis suppressis enascuntur, memoria notare hoc loco conveniens erit, ita e. g. sudores pedum, axillarum certis individuis proprii, ad sanitatisque statum spectantes repente suppressi gravibus adfectionibus occasionem praebere consueverunt; ast morbos tales e classe morborum retropulsorum omnino exulare, sponte liquet, cum non e morbo sed potius e sanitatis statu suppresso originem nanciscantur.

§ 36.

His finem impono dissertationi meae inaugurali, qua morborum retropulsorum praecipue occurrentium complexum tantum exhibere, principaliaque capita eorum sanationis adferre pro scopo habere intendi, quam muneris mei rationem, ut primitias meorum in arte saluberrima conaminum, **L e c t o r B e n e v o l e !** contemplari velis, optatissimum mihi esse confiteor.

---



---

# T h e s e s.

1.

Exemplum defectus Philosophiae in condendo Systemate Medicinae aetate nostra clarissimum sistit Systema homoeopathicum Hahnemanni.

2.

Experientia vera Medico philosopho digna, ab experientia spuria solis sensibus, excluso rationis influxu, insistente ad vetulasque releganda, bene distinguenda est.

3.

Sanguinis arteriosi mixtio chemica in omni corporis parte eadem est.

4.

Systema cutaneum prae omnibus reliquis systematibus maxima dignum est attentione.

5.

Acidum hydro-cyanicum non verum acidum sed substantia phlogistica est.

6.

Hermaphroditi veri tantum in animalibus infimarum classium occurrunt.

7.

Methodus medendi ophthalmiae aegyptiacae ab A d a in s laudata perniciosa est.

8.

Placenta organon respirationis foetus est.

9.

Datur inter morbos retropulsos et depositionem metastaticam stricte sumendo differentia.

Recentissimum a **Laennec** inventum instrumentum **Stethoscopus** ad investigandos quidem morbos pulmonum, non item ad situm foetus et placentae determinandum, ut **Lejumeau de Kergaradec** voluit, adhiberi potest.

Usus fumi **nicotianae**, ut mala et noxia consuetudo, exulet oportet.



